SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM

De

NONNVLLIS VIRGINVM MORBIS.

§. I.

Orbos inter, quos tanquam pro ſtipendio ſexus reportauit ſequior, infimum non tenent locum illi, quibus occupantur virgines.

§. II.

Et quoniam parum refert, quamnam pro Specimine Inaugurali enucleandam quis ſibi ſumat materiem, ad hanc, vtpote minus agitatam, pro viribus illuſtrandam appuli animum.

§. III.

Ne autem quis opinetur, me hic perſtringere velle omnes & ſingulos, quibus amabilis ille affligitur ſexus,

morbos: Sunt enim innumeri, quos omnes pertractare praesens instituti mei ratio non postulat; sed tantum aliquos, illos nimirum, qui ex plethora, tanquam fonte primario, originem trahunt.

§. IV.

Vt igitur ad rem ipsam veniamus: Ita a Summo Numine fabrefacta sunt corpora illarum, vt etiamsi statutum terminum sui incrementi, quem facile adipiscuntur, adepta sint, non desistant tamen in confectione sanguinis vel humoris boni pluris, quam sustinendo corpori requiritur, quum augendo non amplius impendatur, vnde nascitur plethora, id est, abundantia sanguinis vel humoris cuiuscunque illa, quæ si maior fiat, facile inducantur morbi. Definiri itaque potest, quod sit (*a*) *copia boni sanguinis maior, quam quae ferre possit eas mutationes, quae homini ineuitabiles accidunt, nisi inducantur morbi.* Hactenus nullus morbus.

§. V.

Causae praedisponentes maxime haerere videntur in laxitate naturali, vnde etiam minus perspirant, quam quidem viri; si huic accedat vita otiosa, sedentaria, minus laboriosa, mensa lauta, opipara, eo propius adest malum.

§. VI.

Si hic status diutius perdurat, id est, si vis vasorum & viscerum manet eadem, mox nascitur alius, qui dicitur morbo-

(*a*) Boerh. aph. 5. §. 106. litt. *a*.

morbosus: comprimuntur enim venae a dilatatione arteriarum, hinc turbantur omnes secretiones & excretiones maxime consuetae, qualis est secretio bilis, humoris gastrici, lymphae pancreaticae, spirituum animalium, hujus denique cruoris superflui, nascitur morbus, *chlorosis* dictus virginum: hinc calor ab aggestu attrituque sanguinis praeprimis ad caua cordis & in arteriis: dolor ab extensione vasorum, imprimis minimorum, v. gr. cerebri & cerebelli, vnde dirae aliquando cephalalgiae: pondus ab inhibita perspiratione Sanctoriana & a quantitate aucta; oritur febricula, augetur circulatio, calor, dolor, pellitur sanguis in loca a corde remotiora minimeque resistentia, retinetur illic aliquamdiu, vnde tument mammae, tenditur vterus, & per consensum vicina, donec nimis demum hisce in vasis accumulatus per aperta vteri & vaginae arteriolarum oscula sufficiens & quae redundabat copia ruat & exsoluatur. Atqui haec est consueta corporis secretio, quae quoniam vt plurimum singulis mensibus in corpore euchymo contingere solet, menstruorum vel mensium sub nomine innotuit.

§. VII.

Si haec euacuatio solito tempore non euenit, miras saepe natura sibi quaerit vias, vnde per oculos, puncta lachrymalia, nares, aures, gingiuas, saliuae vias, ex dentis alueolo, per oesophagum, aluum, renes, vesicam, specie sudoris per vniuersam cutim, e labiis, palpebris, genis, per vulnera, vlcera, fonticulos, e mammis, mammarum papillis, medio inter illas loco, in dorso, per vmbilicum vna cum vermibus, ad carpum, per minimum manus digitum auricularem & annularem, per manus pollicem,

cem, ex dorſo eius, ſub vnguibus, ex abſceſſu ſub coſtis, in inguinibus, e genu, vertice, pedibus, imo ex omnibus fere partibus corporis ſanguinem hunc menſtruum emanaſſe legimus, adeo vt, ſi ab vna parte reuellas, in alia iterum erumpat copioſiſſime; ſic viſa eſt puella, cui ad capillos defluxiſſe teſtatus eſt Medicus.

§. VIII.

Atqui hae benignae ſunt naturae viae, ſi vero aliunde exitum molitur, triſtes ſaepe ſcenas facit, in cerebro enim apoplexiam, in pulmonibus haemoptyſin, in ventriculo vel ſtomacho ſputa cruenta, in inteſtinis diarrhoeam ſanguinolentam, in renibus mictum cruentum & ſimilia concitat. Hiſce quoque viis denegatis in capite phrenitidem, cephalalgiam, oculorum hebetudinem, auditus grauitatem, vertiginem, inflammationes & ſuppurationes tonſillarum, parotidum, tunicae Schneideri. In collo anginam. In pectore pleuritidem, peripneumoniam paraphrenitidem & ex his natos euentus gangraenam, ſcirrhum vel vomicam. In ventriculo & inteſtinis inflammationes, ileum, colicam, ſcirrhum vel cancrum, ſuppurationem vel gangraenam. In hepate hepatitidem & icterum, calculos, ſcirrhum vel apoſtema. In liene inflammationem, ſcirrhum, cancrum, ſuppurationem vel gangraenam. In renibus nephritidem, & ex hac natos effectus, calculos, gangraenam vel ſuppurationem. In vtero ab obſtructione inflammationem, gangraenam, ſcirrhum, cancrum vel apoſtema & ſimilia concitat. Nec partes externae plane immunes manent, ſed easdem ſaepius elephantiaſi, ſcabie, furunculis, eryſipelaceis affectibus, lepra, ſcirrhoſis vel varicoſis tumoribus infeſtari legimus.

§. IX.

§. IX.

Nulla autem plane ſuccedente euacuatione, neque ſubſequente vlla criſi, vaſa vltra naturalem ſuum diametrum diutius extenſa amittunt omnem tonum ſiue elaterem fiuntque debiliora, laeduntur functiones naturales, nouus inducitur quaſi morbi aſpectus, cui a deprauato humorum habitu *Cacochymiae* nomen: Hinc ille color pallidus, quia ſanguis non ita rutilus, ac in ſtatu ſanitatis, vel quia non poteſt penetrare ad vltima vaſcula ob pituitoſum viſcidum vel glutinoſum hic peccans; qualis enim humor in corpore, talis eſt color in cute & facie: hinc illa mira adpetentia in cretam, gypſum, calcem, carbones, cineres, ceſpites, lapides, oryzam crudam, fabas Coffeanas toſtas, herbam Thee ſimiliaque, vt integra oſtracea vaſa, fiſtulas tabacarias, teſtas, feſtucas, lapides deuorauerint aliquando, ob idem viſcidum vel acidum vt plurimum hic peccans, ad cuius domationem natura talia adpetit, licet non bene concoquat aliquando: Oritur ciborum etiam optimorum faſtidium a mala indole humorum huc confluentium, fami & adpetitui maxime famulantium, v. gr. ſaliuae, humoris gaſtrici inteſtinorumque, bilis utriusque, ſucci pancreatici; vel denique ab abſentia ſpirituum, ventriculi inteſtinorumque fibras maxime ſtimulantium; huc facit quamplurimum quotidiana horum ablutio per potum Thee & Caffee, accedit quod terreſtria deſcripta ſupra, ſi aſſumantur, glutinoſo vel viſcido iuncta, lateribusque huius ſacci canalisue affixa ſtratum aliquod lapideum, ingreſſum & egreſſum dubium reddens, valde nauſeoſum conſtituant. Quid, quod, tantum abeſt, vt omnia, quae aſſumunt acida, in naturam peruertantur alcalinam vel alcalino proximam, vt potius

priſtinam

priſtinam ſuam ſeruantia immutata permaneant in tenellis harum corporibus: hinc illae lypothomiae & ſyncopes vt & palpitationes cordis, toties contingentes, quoties vel minimum ſe commouerint, vel a ſpirituum animalium defectu, vel ab inordinato horum in cordis villos influxu, vel ab intercepto horum per illos tranſitu prouenientes: Tandem leucophlegmatiae, & hydropes a labefactatis viſceribus, vnde vteri hydrops & ſexcenta alia, qualia ſunt: Tuſſis, dyſpnoea, anhelitus, cardialgia, nauſea, vomitus, proſtratus adpetitus, praecordiorum grauitas, daß ſie über ihr Hertz klagen / [illegible]tus acidi pariter ac nidoroſi, tumores pedum, crurum ac palpebrarum praeſertim tempore matutino & circa veſperam. Et quis enumerabit omnia ſymptomata? Qualia ſunt furor vterinus, dolor capitis iam grauatiuus, iam diſtenſiuus & pulſatilis, quae omnia fonte curato ſponte ceſſant. Denique vaſorum rupturae, vnde tabes, icterus & ſimilia mala, donec vltimo mors Tragoediam claudat.

§. X.

Signa huius morbi praeſentiam indicantia vulgo haec habentur: iuſta corporis menſura, coniuncta cum grauitate eiusdem, laſſitudine ſpontanea, & propenſione in ſomnum: ſi ſimul adſint dolores circa lumbos, tumores pedum atque crurum; vrina nonnunquam turbida & ſpumoſa, nonnunquam aquoſa ſiue coloris expers; pulſus nonnunquam frequens, aliquando tardus; color liuidus ſiue ex viridi pallidus; adpetitus deprauatus, conſtipata aluus, quae omnia ex antecedentibus facile intelliguntur & maximam partem ex plethora deduci poſſunt.

§. XI.

§. XI.

Prognoſin non niſi funeſtam facile formabis; hiſce enim ſi in tempore non occurritur malis, in longe pejora abeunt, quaedam enim apoplexia moriuntur, quaedam in morbum acutum chronicumue incidunt, quaedam epilepticae, fatuae quaedam, quaedam hydropicae, melancholicae quaedam, ictericae quaedam, quaedam calculoſae euadunt, vel quod mitius eſt, quibus viae de tempore non reſerantur, id eſt, vaſcula vteri aperiuntur, vt apta ſint ad ſecretionem huius menſtrui, connubium tandem ineuntes ad generationem prolis vel plane ineptae ſunt, vel minus vitales in lucem edunt foetus.

§. XII.

Curationem tandem perfecturus Medicus, primo maxime vrgenti ſymptomati debitis praeſidiis occurrat, deinde morbum ipſum attingat. Quoad curationem ipſam ſequentes formo indicationes. *Prima* erit, purgandas eſſe primas dictas vias. *Secunda*, obſtructum eſſe reſolvendum. *Tertia*, roboranda eſſe vaſa & viſcera, ut ſanguinem bonum de nouo conficere poſſint. *Quarta* denique, fluxum hunc ſalutarem eſſe reſtituendum.

§. XIII.

Ad primam faciunt euacuantia leniora, additis antacidis, abſorbentibus & incidentibus, ſi laborat acido, viſcido vel glutinoſo ſimul. Secundam abſoluunt reſoluentia interna externaque. Huc ſpectant gummata, vt & balnea & ſemicupia ex emmenagogis & emollientibus,

laxando enim partes illas, quas alluunt, ducuntur humores inferiora versus, praeter quod obstructum aliquando penitus resoluant. Tertiae satisfaciunt spiritus omnes fermentatione producti, & ex his paratae Essentiae & Tincturae, vt & Vina varii generis, qualia sunt: Hispanicum, Gallicum rubrum Pontac dictum, Canariense, Maluaticum, nigrum Graecum, Rhenanum meracum vetus, Florentinum austerum. Inter cereuisias, Brunsuicensis Mumma dicta, & similes. Ex regno vegetabili: Absinthium, Baccae Iuniperi, Cortices Citri, Aurantiorum, Granatorum, Cinnamomi, Cortex Peruuianus. Ex regno minerali siue fossili Chalybs censetur ex optimis; sic vinum medicatum potest parari, cuius basin metallum hoc constituat. Cibi sint eupepti & facilis digestionis, vt oua & carnes animalium, praesertim iuniorum, assatae, frixae, coctae in gelatinam additis aromatibus, quibus cibi potusque condiri solent, vt nuce Myristica, Caryophill. Aromat., Zingibere, Aniso, Coriandro & similibus. Pisces, aues & auiculae, quae pascuntur insectis & pisciculis. Panis esto bene fermentatus & bis coctus. Aër eligatur purus, serenus, & ad calidum vergens; si naturâ talis haberi nequit, arte parandus. Frictiones, vectiones in rheda, ambulationes, saltationes egregie prosunt. Quartae & vltimae tandem indicationi satisfit per specifica vterina dicta; sed quoniam horum medicamentorum tanta est diuersitas, vt, qui omnia recensere vellet, Dissertationis alicuius limites longe lateque transgredi necesse habeat, ea summatim tantum indigitabo: in genere sunt emollientia, laxantia, resoluentia & aperientia, quorum Catalogum videre licet apud Scriptores Materiae Medicae.

§. XIV.

§. XIV.

Quaeritur an V. S. instituenda sit? & respondetur: in priori quidem casu multum conducit, quia aliquando fit, vt post talem operationem institutam viae referentur, atque per vias ordinarias prodeant aliquot librae sanguinis, vt fit circa plenilunia & nouilunia; in posteriori quoque parua prodesse potest ad ingressum faciliorem parandum medicamentis.

§. XV.

Sunt adhuc alii morbi partium solidarum, quos hic pertractare non ausim, nimirum partium genitalium, quando male conformatae sunt, vel os vteri clausum, vel hymen imperforatum, vel tumor praeternaturalis intra vaginam enatus est; requirunt autem dextram Chirurgi, vel perforationem, vel ablationem integram, de quibus suo loco.

§. XVI.

En L. B. fructus immaturi Specimen, quod vt benigniis intuearis oculis, rogo, atque Dissertationi meae impono

FINEM.